

A *Ex Zijon.* Item: *Venit Deus noster.*] His duobus versibus describit aduentum Dei ad iudicium. Et primò unde sit proditus. *Ex Zijon,* inquit. quia Zijon erat sedes Dei, ac ciuitas Regis magni. Loquitur enim ad formam mundani regis, qui profecturus ad disceptandum cum populo suo, ex urbe regia progreditur &c. Vers. 3.]

Deinde describit, qualis sit progressurus ex Zijon. Perfecto decore ornatus, ut solent reges regiam ostendere maiestatem. Deinde iratus, plenusque spiritu vindictæ, cum magno terrore. Hoc est quod dicit: *Ignis vorans ante faciem eius, turbo vehemens circunquaque.* Regibus datur armatorum ac satellitum multitudo. Sed Deo datur talis vis, qua omnia & consumere & prostrare potest.

Ad iudicandum populum suum.] Hic exprimit, ad quid Deus cœlum & terram aduocet, & ipse quoque Zijon progrederiatur: nempe, ad iudicium ineundum cum populo suo. Vers. 4.

Congregate mihi sanctos meos.] Non loquitur de alijs, quam de populo suo. Quoniam vero omnes populi totius terræ Dei sunt, volut præco specialiter exprimere Israëlein, populum sanctum ac fœdere coniunctum cum Deo. facit autem hic Deum ipse mandare. Nam supra, mandare Deum dixit. Hic quod atque ad populi iudicandi congregationem, quemadmodum referit ad iudicium citari solent, inducit Deum mandantem, ac dicente: *Congregate mihi, &c.* Ad hæc exprimentem etiam causam, de qua sit cum illis disceptatur: nempe, propter sacrificium, vel super sacrificio. Ilud, *Ferientes pactum meum super sacrificio,* potest & ita exponi: Qui propter sacrificia sua volunt me sibi quasi fœdere quodam deuinatum. Si nihil est loquutio in Prophetis, qui ferunt fœdus cum morte, cum inferno, quasi dicat: Qui velut paciscitur in eum ad suam securitatem cum sacrificiis suis. Non enim probabat sacrificia illorum: ut in sequentibus audiemus. Iam videamus quæ sint obseruanda.

Deus mandat.] Hoc & similibus locis, videmus quod sit officium eius qui minister Dei videri vult, Obs. 1. ad illius populum: nempe, ut non suum, sed Dei verbum adferat. Hoc enim non solùm exigit officiū fides, sed & gloria diuinæ maiestatis, omnibus ubique colendæ & obseruandæ: denique, & salus auditorum, quorum conscientijs non potest humano verbo consuli. Vers. 1.

Deus deorum.] Notandum & hoc, quod Dominum vocat Deum deorū. id est, potentiam ac iudicium: Obs. 2. cùm tamen sit omnium mortaliū Deus, etiam imbecillum. Facit hoc ad amplificationem diuinæ maiestatis: quæ tanta est ut & potentes huius Mundi, non solùm imbecilles illam agnoscere cogantur. Tale est & illud Prou. 21: *Sicut diuisiones aquarum, ita cor regis est in manu Domini:* quocunq; voluerit diriget illud. Annō & aliorum mortalium corda sunt in manu Dei? Vtique Sed regis cor dicit esse in manu Dei: cùm ut exprimat maiestatein Dei, tamen ut soleat imbecilles, ne putent reges a copotentes id habere potentiae, ut omnia pro suo arbitratu præstare & exequi possint. fugiamus ergo contra tyrannidem potentum huius seculi, ad Deum hunc potentum ac iudicium.

B *Aduocat cœlum & terram.* &: *Cœli pronunciabunt iustitiam eius.*] Hoc diligenter est expendendum, cùm ad terrarem obstinatorum, tamen ad erigendum animos ministrorum Dei: qui pessimum hunc contemptum Dei hodie & in alijs experiuntur quod Mundus vel prorsus contemnit vel in Dei, vel non credit esse verbum Dei, quo ad penitentiam & verum Dei cultum, pietatisque studium vocatur: ut sciant & ipsi, cœlum ac terram in extremo iudicio contemptus huius fore teites. Obs. 3.

Ignis ante faciem eius.] Ista similitudine Spiritus sanctus sapientia, nero intolerabilem vim ac potentiam irati Dei ob oculos ponit: cuius certè in tempestibus illis cœli admoneri debemus. vide Psal. 18. Recte datur illi ignis consumens, ac turbo prostrans. Quid enim ira Dei resistere, immo hanc quid ferre poterit? Obs. 4.

Ad iudicandum populum suum.] Habet hoc peculiare Deus, ut licet omnia omnium delicta odiat, iudicaturusque sit: populi tamen sui delicta multo minus ferre queat quam alienorum. Sic Petrus dicit, Iudicium incipere a domo Dei, iudicat autem suos in hoc seculo, ne cum Mundo damnentur in futuro.

Congregate mihi sanctos meos, & confederatos meos.] Duo sunt hic notanda. Vnum, quod populum suum vocat חסידיך: id est, ut ita dicam, beneficatos suos, vel, ut vertunt, sanctos suos. Quare non vocat eos subditos suos, more principum huius seculi? Discamus ergo hic, quid sit esse populum Dei, quid sit Deum esse Deum nostrum. Sancti Dei nihil sunt aliud, quam חסידיך. Vide Psalmo 16.

Alterum, quod etiam tuum, cùm propter delicta ad iudicium, idque in causa cultus sui, ut treos & castigandos citat sanctos suos vocat, & confederatos. Ergo non ideo illos reiicit, ne planè ut prophanos habet, licet ad iudicium vocet castigandos. Hoc suum opere obseruandum est primum ad consolationem: deinde & ad instructionem, ne nos abijciamus statim, proque prophanis habeamus quosquis peccatores, etiam tamen cùm ad iudicium vocantur & corripiuntur: cùm audiamus eos adhuc Dominum, cuius sunt, esse sanctos ac confederatos.

S E C U N D A P A R S P S A L M I.

7. *Audi popule meus, & loquar, Israël, & contestabor te: Deus sum ego, Deus tuus.*

8. *Non arguam te propter sacrificia tua, nec propter holocausta tua, quæ coram me sunt semper.*

9. *Non accipiam de domo tua taurum, neq; de caulis tuis hircos.*

10. *Quoniam mee sunt omnes ferae syluarum, pecora in mille montibus.*

11. *Non i omnia volatilia montium, & ferae agrestes mecum sunt.*

12. *Si esuriero, non dicam tibi: quoniam meus est Orbis, & plenitudo eius.*

13. *Nunquid manducabo carnem taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?*

I Nec